

Græci hauserunt sapientiam a Barbaris.

tamen vel motuum cœlestium, vel principiorum corporum terrestrium contemplationibus operam suam imprimis impenderunt: philosophia practica interea, quæ maximum in vita civili usum præstat, cum sine gubernatione politica, observatione legum & exercitio virtutum non possit conservari humana societas, vel prorsus negligebatur, vel seignius saltem colebatur. Quemadmodum autem a Græcis ad Romanos, ab hisque ad reliquos Europæos scientiarum rivi manarunt, e quibus facta tandem flumina, sic ipsi Græci a memoratis Barbaris (ita enim vocabant eos, qui græca lingua non utebantur) sapientiam primum hauserunt, animisque imbiberunt. Discimus enim ex Clementis Alexandrini *Lib. I. Stromatum*, aliisque antiquis scriptoribus, Græcorum primos scientiarum duces Barbaros fuisse, barbaricamque philosophiam, sic dictam quod extra Græciam prognata, in Græciam introductam esse; e quibus Barbarorum, id est Chaldæorum, Ægyptiorum, Persarum, Phœnicum, cæterorumque scholis, ad quas Græci tanquam ad bonarum artium mercatum proficiscebantur, Atticæ Musæ principes tanquam ex equo Trojano successu temporis prodierunt. Habuere quidem Græci, æque ac aliæ gentes, domesticam philosophiam, inveneruntque ipsi multa non contemnenda; sed quanta quanta hæc fuerunt, non sunt tamen comparanda cum illis, quæ ex Barbarorum disciplina acceperunt. Omisimus antea Hebræorum scholas, quæ ad reliquorum populorum

rum